

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1254

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

super provisione clericorum per sedem apostolicam, que tamquam pia mater illorum preces plerumque non potest indurata facie pertransire, per eam interdum optatum relevatione solatium assequantur. cum igitur, sicut petitio vestra nobis exhibita continebat, ecclesia vestra tam nostra quam ejusdem sedis legatorum auctoritate sit super receptione canonicorum plurium pregravata, nos vestris supplicationibus inclinati, paci et tranquillitati vestre paterna volentes in posterum sollicitudine providere auctoritate vobis presentium indulgemus, ut per litteras impetratas ab ipsa sede, dummodo per eas non sit jus alicui acquisitum, et de cetero impetrandas ad receptionem vel provisionem alicujus compelli non possitis inviti, nisi eodem littere plenam et expressam sive de verbo ad verbum de hac indulgentia et receptorum numero in predicta ecclesia et eorum nominibus fecerint mentionem. nos enim decernimus irritum et inane, si quid contra tenorem hujusmodi indulgentie contigerit attemptari. nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre concessionis et constitutionis [paginam] ^a infringere vel ei ausu temerario contraire. si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. datum Laterani 5 kalendas aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 2718 cop. chart. sec. XVIII.

383. *Meister und Rath der Stadt Straßburg beurkunden, unter welchen Bedingungen ihr Mitbürger Hugo Tantz die Almende vor seinem Hofe jenseits der Breusch innehaben darf. 1254 Juni.*

Johannes filius Cūnonis magister civium et consules Argentinensis notum facimus omnibus per presentes, concivem nostrum Hugonem Tantz ante curiam suam ultra Bruscam sitam pro domino Hecelone de Ekevirdesheim emptam almendam unam muro uno circumcinxisse ad altitudinem terre sub tali condicione, quod ipse vel heredes ejus in posterum nulla tamen edificia debeant in eadem almenda construere nec quicquam juris in ea sibi vindicare, sed pro communi almenda habere. in cujus rei memoriam et stabilitatem presens exinde pagina est conscripta et sigillo civitatis in testimonium communita. actum anno domini 1254, mense junii, nobis consulibus presentibus: videlicet Hecelone de Ekeverdesheim, Gozperto ministro fratrum, Hugone Ryplino, Johanne Vitulo, Rūdolfo de Vegersheim, Reimboldo de Friburc, Gozelino filiastro Vitule, Erbone filio Nicolai, Friderico Dispensatore, Heinricho Marsilio et aliis quam pluribus.

S aus Straßb. St. A. Briefbuch A fol. 180^a mit der Ueberschrift: daz Hug Tantz die almende jensite Brüsche vor sinem hofe sol haben und mit einre muren umbgriffen und behaben in almende wise.

^{a)} *B om.*